

29 473

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS:

ANIMADVERSIONES IN AETI-
OLOGIAM HYDROPI,

QUAM,

CONSENTIENTE ILLUSTRIS MEDI-
CORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM DORPATENSI,

PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE
ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDO,

IPSIS CALENDIS MARTII MDCCCV. HOR. X.

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

AUTOR,

JOANNES HENRICUS KOHL, LIVONUS,

Tartu Ülikooli Kirjandus- ja
Raamatukogu

70044

DORPATI,

LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

1805

Proëmium.

Procesus chemico-physicus mutationis formae atque mixtionis humorum, nec momentum quidem interruptus, vitam organicam in genere et potissimum organico-animalem constituit. Humores nempe e forma fluido-stillantia (tropfbarflüssige) in vaporosam, aut aëream transeunt; nec non in concretam, aut solidam, mutantur. Vapor iste humidus, qui ex orificiis vasorum minimorum quovis in cavo corporis nostri exhalatur, calorigi liberi ope humori moto inhaerentis, nec non vasorum ipsorum vi, formam hanc induisse videtur. Etsi arteriolae serosae, quae hoc officio funguntur, tunica musculari omnino carent, tamen illis incitabilitas cum reactione sat memorabili insidet, quae uno alterove

incitamento facile mirum in modum augentur. Secretio vaporis istius mere mechanice procedit, cum serum exhalatum qua tale in sanguine jam existit; ideoque paratione zoochemica amplius non eget. Qui ubique in corpore animato occurrit, organorum singularium inter se antagonismus, et systemati seroso-lymphatico non daest. Antagonismi ope fere omnia vitae phaenomena egregie absolvuntur. Extendit musculus hic, contrahit alter quaecumque membrum, et ambo invicem actiones suas moderantur. Mirabilis inter cardiacam et pylorum antagonismus digestioni primariae in ventriculo inservit. Certamen orificii collique uteri cum fundo conceptum foetum per justum temporis spatium in cavo hujus organi retinet; antagonismus idem elapso hoc tempore partus negotium absolvit. Abducitur sanguis e corde in remotiores corporis regiones ope arteriarum, in venis mox ad fontem redux. Talem etiam functionem antagonisticam inter serosa vasa licet observare et inter lymphatica. Quem illa in qualiacunque cava dimittunt

halitum aquosum haec orificiis suis imbibunt, ne cavitates inundentur. Sed resorptio ista nullo modo processus mere mechanicus, uti arbitror, habendus erit; humores potius in vasis lymphaticis aliam subeunt mixtionem chemicam, ratione proportionis partium illos constituentium, quam qui in arteriis serosis vehuntur. Tempore antiquiori systematis seroso-lymphatici notitia justo nimis neglecta facebat. Historiam hujus rei literariam inter alios graphice Lindner a) nobiscum communicavit. Sed recentiori aevo rei gravitatem sentientes curatori et indefesso studio eam tam anatomico et physiologico, quam pathologico respectu coluere viri celeberrimi Cruikshank b), Mascagni c), Assalini d), Soemmering e), et praceptor summe venerandus Isenflamm f)

a) De Lymphaticor systemat. Diss. Hal. 1787.

b) Anatomy of the absorb. vessels. London 1786.

c) Vaserum lymphaticor. histor. Sien. 1787.

d) Vers. üb. d. Krankheit. d. lymph. Syst. Dresd. 1792.

e) De morb. vasor. lymphaticor. Traject. 1795.

f) (H. F.) Diss. de absorption. morbos. Erlang. 1791.

cum fratre s), ut alios tacendo praeteream, qui non minus hac de re bene meriti jure habentur.

Grave profecto et multifarinum est officium, quo systema seroso — lymphaticum in corpore animantium fungitur. Etenim non solum ad mutationem mixtionis humorum multum facit, cum vasa sic dicta secernentia, et exhalantia serosorum sub familia militant et lymphatica, sive resorbentia, liquores chylosos materiamque heterogeneam ex aëre absorptam sanguini advehunt; sed, ni fallor, arteriolae serosae etiam oxygenium sanguini inhaerens secernunt. Repentina humorum seroso-lymphaticorum in morbis quibusdam acidatio huic opinioni arridet. In affectionibus cutaneis, quae vasorum exhalantium systema potissimum vellicant v. c. in nonnullis febribus exanthematicis, vaporacidus sentitur. Qui in pustulis herpeticis scatet, humor, sapore acido gaudet. Ichor canerosus, acido mordenti stipatur. Hujus rei experientiam casu fecit praeceptor vene-

g) Ch. F. Isenflamm Diss. de absorpt. san. Erl. 1791.

randus, cl. Balk. Inquinaverat nempe digitum, mammarium cancrum scrutando tangens, ichore effluente aquoso. Acerrime de morbi statu cogitans eundem digitum labiis involuntarie admoberat. In ipso hoc momento saporem acidi concentrati cum dolore pungenti subitaneo in radice linguae, sensu isto simillimo, qui e processu Galvanico prodit, sentiebat. Sapor vero iste non post paululum temporis sponte evanuit, sed tam diu duravit, donec solutione aquosa Kali vegetabilis os iteratis vicibus eluebatur. Objici forsitan posset, exempla in auxilium sententiae meae allata, nil de officio systematis serosi physiologico probare, cum ulla sine exceptione e statu pathologico petita patent. Sed analysis chemica liquoris amnii a viris in arte docimastica scientiisque physicis versatissimis, Cl. Boniva et Vauquelin h), instituta, opinionem hanc egregie firmiter. Phaenomena analysis istam concomitantia partim acidi liberi, par-

h) I. Horkel Archiv f. d. thierisch chem. 1. Bd. 1. St.

S. 29.

tim Kali liberi praesentiam manifestare videbantur. Cum vero uno eodemque tempore ambo in eodem liquore, absque mutatione in sal neutrum, coexistere nesciunt, contradictionem omnem periculi hujus autores eo dirimendi operam navarunt. ut modo contendant: „das Schaafwasser verhalte sich ge-
„rade so, als wenn eine Säure darin zugegen sey.“
Si vero ponamus, serum oxygenio libero esse divitem, phaenomena antedicta facili negotio conciliare possimus. Oxygenium nempe non acidum completum igiturque legum chemicorum expertus est, quae acidis imperant. Sed omnium acidorum basin constituit; quare, ubi acidi phaenomena appareant, materiae illius praesentia nullo modo erit neganda. Opinionem meam quidem bellum indicare videntur analysés chemicae humoris hydropici, quas Cl. Fourcroy ¹⁾ et van Mons ²⁾ nobiscum communicarunt. Ex isto nimirum examine elucescit, observata phaenomena magis dominium Kali,

1) Horkel l. c. 1. Bd. 2. Heft. S. 247. ff.

2) Reil Archiv f. d. Physiol. II. Bd. 1. Hft. S. 123 ff.

quam acidi liberi aut oxygenii probasse. Monendum vero hic erit:

- I. Oxygenium in vasis serosis ipsis sub forma gasis contineri, quia cum caloricis nuptum et per hoc connubium in formam antedictam mutatum sit. Gas istud avolat, simulac humor, vasa serosa hauriat sub forma exiturus, in cava quaevis effusus, non statim a systemate lymphatico absorbitur.
- II. Fourcroy ipse contendit, Oxydationem humoris hydropici causam esse coalescentiae materiae albuminosae in hoc humore apparentis.
- III. Phlegma hydropicum ab eo differt, quod in vasis serosis lymphaticis circulum normalem absolvit. Prior nimirum, omnis motus nunc expertus, ratione mixtionis chemicae mixtae mutatur necesse est, potissimum cum caloricis sponte evoluti actio, in chemia corporis vividi certissime multum operantis, hic omnino cessat, aut tantum legibus anorganicis moderatur.
- IV. Ex humoris hydropici examine, simulac

modo effusus sit, instituto, certiora de mixtione
ejus data colligere licebit.

Adsum unicuique organo stimuli, quibus incitabilitas ejus sana aut morbosa prae aliis agitur. In systemate sanguifero sanguis calidus sparta hac fungitur; in lymphatico autem, ut mihi videtur, oxygenium munus istud obit. Omnia enim inter pharmaca, quae actionem organorum lymphaticorum potissimum stimulant, metalla oxydata, quibus, docente chemia, oxygenium leviter modo adhaeret, locum fere primum sibi vindicant.

Auxilium, quod glandulis atque vasis lymphaticis obstructis fert Galvanismus, aut electricitas, plerique eam propter causam apparere credidimus, quod incitamento isto vires vitales valide excitentur. Libenter huic opinioni calculum meum adjicio, sed penitius indagare juvabit, nonne potius mediate effectus producat. Patet nimirum, electricitate potissimum Galvanica humores aquosos decomponi, ita, ut gas oxygenicum hucusque in illis latens, nunc liberum fit. Ejus solum ope, ut mihi

videtur, aucta vasorum et glandularum actio erit explicanda, cum oxygenium stimulus est, huic systemati consuetus et amicus. Eximiae virtutes, quibus electricitas tam communis, quam Galvanica, in nervorum resolutionibus et hemiplegia candet, forsitan etiam unice ex processu jam dicto analytico proficiscuntur. Persuasum enim me habeo, in affectionum nervosarum, tam febrilium, quam chronicarum, aetiologia accuratius induganda, nutritionem nervorum per vasa vaginas nerveas penetrantia nimis esse neglectam. Sunt autem vasa haec partim serosa, partim lymphatica. Gas oxygenicum, Ope Galvanismi applicati liberatum, torpida nervorum vasa stimulat, ut viviora nutritionis officio fungantur, sicque sensim resolutio cesset et sensibilitatis principium organis hisce restituatur, quod, ni fallor, potissimum in materie quadam gasiformi, e vasorum ramulis, minimis evaporante, consistat.

Animadversiones in aetiologiam hydropis.

Pauca haec de systemate seroso — lymphatico praefari ex re fore putavi, quoniam melius ea illustrare possint, quae de Hydrope cum lectoribus communicare decrevi. Aequus rerum censor vix expectabit, me in monographia hujus morbi versari velle, quae omnibus ex numeris absoluta esset. Laborem hunc partim ingratum, cum compilationes laurea aegre modo ornantur, partim vires meas longe superantem existimavi; partim denique, longum temporis spatium in illum collocare, circumstantiae negabant. Accidit nempe tenui hucusque fortuna ducto, ut casu felici munus medici peculiaris mihi oblatum sit, sub ea quidem conditione, ne ultra mensis hujus finem illud obire negligerem. Sufficiant haec, indulgentes mihi iudices parare, si fragmenta solum nonnulla de morbo, diro colligere nonnullaque dubia illum spectantia examini submittere periclitatus sum.

Causam hydropis generalem semper in debilitate indirecta aut directa, tam Organismum totum, quam systema potissimum seroso-lymphaticum infestante quaerendam esse, in eo fere omnes conveniunt, qui in aetiologiam hujus Morbi inquaesiverunt; v. g. Monro l), Mezler m), Millmann n), Langguth o), Horn p), Richter q) denique Pop r), ut plures tacendo praeteream. Lymphatica vasa s. resorbentia, actione sua imminuta ad hydropis genesin immediate conferre, de eo plerisque lis non amplius sub iudice pendere videtur. Haec vasa solummodo accusantur, liberatis serosis. Attamen absorptionis negotium viribus vitae vix eget, cum forsitan sola lege mechanico-physica adhaesionis et attractionis regitur s).

Quod praeclare etiam inde elucescit, ut non modo tubuli capillares et spatia angustiora pa-

l) Abhandl. von der Wassersucht und ihr. Gattung. Leipz. 1777.

m) Von der Wassersucht. Ulm 1787.

n) Animadversiones de natur. hydrop. Lond. et Vien. 1779.

o) Diss. de hydrope. Viteberg 1780.

p) Beitrag. z. medicinisch. Klilmk. II. Bd. Braunsch. 1780.

q) Medicin. und chirurg. Bemerk. I. Bd. Goett. 1793.

r) A. Röschlaub Magaz. d. Heilkund. I. Bd. 3. St.

s) de la Lande. Dissert. sur la cause de l'elevat. des liqueurs dans l. tub. capillair. à Paris 1770.

rietibus circumscripta, quae in corporibus anorgicis existant, humores in cavis suis ascendere jubeant, sed post mortem etiam vasorum resorbentium vis per aliquod temporis remaneat, uti quisque convictum se habere potest, cui experimenta quaedam instituere placeret. Cl. Pop quidem ¹⁾ vasa serosa sic ut absorbentia debilitate relativa in hydropse semper stipari docet, hocque eo demonstrare cupit, ut in cavo thoracis et pericardii illorum, qui morbo chronico jugulati sunt, plus liquoris inveniretur, quam in iis, qui repentine moriebantur. Dubito autem, an res semper ita se habeat, cum tot sectionibus institutis hanc legem confirmatam videre mihi non contigit. Nec desunt, qui hydropes natura sua hypersthenicos observasse affirmant.

Primus jam Serapion (Jahiah, Ebn. Serapion), saeculo nono ineunte clarus, nonnulla de hydropse inflammatorio nobiscum communicavit ²⁾; Stoll ³⁾, Morgagni ⁴⁾ et in observandis morbis cl. Frank ⁵⁾ hydropis acuti inflammatorii mentionem uberrime

¹⁾ l. c. pag. 428 — 29.

²⁾ Oper. therapeut. Libr. XII.

³⁾ Rat. medend. Part. VII.

⁴⁾ De sedib. et caus. morb. epistol. I.

⁵⁾ De curand. homin. morb. epitom. Libr. II. §. 126.

Mankem 1792.

fecerunt. Contigit denique praecptori dignissimo, Balk, ut ab eo relata referam, soda methodo sic dicta antiphlogistica hydropi mederi, qui purgante medicina et diuretica antea propinata eatenus pervenerat, ut transitum in enteritidem iam minaretur.

Liceat tironi, quae de genesi hujus morbi explicanda illi, arrident, paucis lineis hac occasione examini censorum offerre.

Causa nimirum efficiens proxima hydropis in eo versari mihi videtur — ut aucta sit vasorum exhalantium functio, systemate absorbenti normali modo gradu agente, nulla autem ratione valde imminuto.

Sequentia opinionem hanc ad verisimilitatis gradum altiore perducere forsitan valeant.

I. Axioma existat firmissimum et genuina experientia rite comprobatum — qualemcumque stimulum organa discernentia modice incitantem, secretionis negotium augere. Purgantium, diureticorum, quin immo vesicantium (quae quasi artificialem et topicam anasarcam pariunt) effectus hac modo lege naturae organicae stabilita absolvuntur. Catharralis narium aut intestinorum effluxus idem probat.

Dubitare liceat, humoris moti profluvium auctum unquam observatum esse, absque aucta

vi vasorum. Major effectus majorem semper causam agnoscit. Videtur igitur mihi, doctrinam de fluxibus sic dictis passivis, contradictione absoluta premi. Etenim si in illis ostiola vasorum minimorum iusto amplius dilatata et diametrum majorem esse penamus, haec tamen ad statum morbosum rectius explicandum non sufficiunt, nisi impulsus versus ostiola tendentem simul adesse confiteamur, cui haec resistendo non sint parati. Quid, quaeso, impulsus istum movet, quam vis ramificationum majorum eorundem vasorum stimulo quodam aucta? Omnes porro humores vaporis sub forma prodeuntes ope calorigi liberi, docente doctrina physica, et forma liquido, stillatitia in vaporosam transeunt. Caloricum vasorum arteriosorum minimorum activitate potissimum evolvi ex physiologicis constat. Cum vero in hydropse, an in tela cellulari, an in singulari quodam cavo, aliove spatio existat, idem est, serum semper vaporis sub forma exhalatur et posthaec modo demum, si caloricum avolat, humoris hydropici formam spissiolem induit, quis est, quin, vasorum exhalantium debilitatem causam morbi nostri iure poni, negat?

2) F. Hildebrandt Lehrbuch der Physiblog. §. 530. Erlang. 1799.

II. Omnes fere causae hydropigenae remotiores incitamenti instar agunt. Liceat frequentissimarum catalogum repetere. Sanguinis profluvia normalia, aut ea, quae natura non aegre ferebat, repentine suppressa; ischuria renalis; interrupta cutis spiratio universalis, vel topica; arthritis retrogressa, aut anomala; rheumatismus; morbi febriles exanthematicae refrigerio in stadio desquamationis turbati, inter quos scarlatina et purpura potissimum eminent; potuum spirituosorum abusus; syphilis; scabies; herpes; impeditus humorum per aliquot organa aut vasa majora circulus. Jure dubito, fore plerosque e medicorum ingeniosorum numero, qui mecum non conveniunt, causas hucusque allatas stimuli sparta in systema arteriosum fungi. Mirum enim existat, tam ope circuli humorum, quam consensus, inter organa incitabilia commercium. Mediante stimulo isto vasorum exhalantium actio notabilis augeatur, partim cum immediate tunicae illorum irritabiles punguntur, partim cum ramis majoribus vellicatis vehementior ad arteriolas serosas impulsus machinatur, evaporationem auctam gignens. Cum vero plerumque eodem tempore peripharia externa spasmis constringitur, spiratio per vasa cutanea cessat et omnis

**

impetus eas versus ramificationes tendit, quibus cava interna, aut tela cellulosa humectantur. Pari ratione etiam circulatio libera in quovis organo impedita morbo nostro ansam praebet, dum majori scilicet vi ad ea repellitur vasa, quae melius patent et fortiter eorum fines intrat, quorum reactione nunc caloricum copiosius evolvitur et cum humore nuptum vaporis instar per ostia avolat, ubi, cum major vaporis hujus copia sit, quam ab venis lymphaticis statim resorberi posset, in formam stillatitiam redit et cavernas inundat. Si medicum tironem juvat, novio rem theoriam autoritate procerum suffulsisse, opinioni meae — *causas fere omnes hydropigenas stimuli instar agere* — vir annuit, magni in arte nominis a). Liceat hinc *Richteri* ipsissimis verbis uti: „In den gewöhnlichen Fällen scheint Schwäche des Körpers, vorzüglich des lymphatischen Systems, *blos die prädisponirende, und ein widernatürlicher Reiz, welcher dergestalt auf das lymphatische System wirkt, das er die Circulation, Secretionen und Excretionen dieser Feuchtigkeiten stört, und dadurch Stokkungen, Anhäufungen, Ergiessungen verursacht,*

a) A. G. Richter medicinisch. u. chirurg. Bemerkung. Goetting. 1793.

„die häufigste causa procatartica der Wassersucht zu seyn, u. s. w.“ Nec Cl. *Boeckmann* b), haesitat, nimiam *Systematis lymphatici energiam* inter causas memorare, quae hydro-pis genesi favent.

III. *Hydropem ventriculorum cerebri semper status hypersthenicus antecedit.*

Cl. *Ludwig* c), *Quin* d), *Girtanner* e) alique in eo conveniunt, ut prodromum hunc inter characteres morbi atrocioris essentielles numerent. Communicavit mecum cl. *Balk*, praceptor benevolus, ut repetita observatione edoctum esse, ut, dissectis hoc morbo iugulatis infantibus, eo major copia seri hydropici in ventriculis existeret, quo vegetiora incitationis morbosae hypersthenicae symptomata ad ipsum mortis momentum usque perseverabant. Cum vero, ut nulla post obitum amplius in cava corporis exhalatio existat, in aprico est, sequitur, undas hasce, dum aeger adhuc viveret et status incitationis hypersthenicae duraret, esse effusas. Objiciet forsitan

b) Dissert. de Hydrop. et vasor. lymphatic. irritabilitat. Erlang. 1800.

c) Diss. de hydrop. cerebr. Lips. 1774.

d) On the Dropsy of the Brain. Lond. 1790.

e) Abhandl. üb. d. Krankheiten d. Kinder. Berl. 1794.

quisque, hyperstheniam non causam, sed sequelam esse humoris extravasati. Liceat vero, sequentibus argumentis opinionem hanc propterea refutare.

- a) Aqua ventriculorum hydropica recens effusa mitissimi liquidi characterem fert, omni acrimonia chemica expers habetur, ideoque stimuli eo in gradu mordentis, ut talem incitationem incendere valeat, qualem morbus iste offert, munus obire nescit.
- b) Sola pressione mechanica phaenomena quidem stuporis et lethargi, non vero symptomata incitationis vividissimae apparent; quod sanguis in cerebro effusus dissolutus, quif imo cerebri suppuratio, quibus humoribus, lympham serosa multo acrioribus, medulla vehementius affici deberet, sat illustant
- c) Status hypersthenicus gradu multo vegetior in primo morbi stadio apparet, in quo facultas caput cum agilitate movendi, et tot alia phaenomena, absentiam inundationis ventriculorum admodum praeclare testantur.
- d) Nec minus convincimur, quovis statu hypersthenico lymphae effusionem produci. Hoc omni inflammatione intestinorum topica mire probatur et hic quidem non exsudatio phlogosin, sed haec illam semper antecedit.

Lympha, quae superficiem partis affectae madet, a sero hydropico ratione mixtionis modo differt, ita, ut prior materiae fibrosa divitior sit, hoc vero aquosis partibus abundet.

IV. Denique etiam praecceptorum iam laudato observationem debeo, *aquarum collectionem in hydropico chronico ratione quantitatis multo magis in eo morbi stadio excellere, cum vegetior adhuc aeger se habet, proportione imminuta vero progredi, quo longior morbus jam imperat. Languescunt in dies vires, iis cum humorum motus, et sic minuitur vaporis exhalandi quantitas. Quare vero humoris hydropici iam effusi copia hoc in stadio non decrescit, cum exhalantium vasorum functio, ratione gradus, vasorum absorbentium functionem nunc melius respondeat, quam imò hac illam superet? Verum quidem est, copia aquarum augmenti plus, quam decrementi, capere videtur, quod theoriae meae conciliari posse primo intuitu perquam difficile videatur. Si autem perpendeamus venas sic dictas absorbentes non pares esse liquorem imbibendi, qui formam vaporosam exiit, in stillitiam nunc abiturus; si quasi mucilaginosae consistentiae memores simus, quam aqua, qua cavitas hydropica turget, stagnatione sibi paravit; quis est, quin conce-*

dat, opinionem meam a verisimilitate toto coelo non abhorrere. An ex paucis hisce in hydropis] aetiologiam generalem prolatis praxis medica utilitatis aliquid capere posset, si acutioris ingenii censura non plane indigna haberentur, sique aucta et emendata ab illo prodirent, arbitrio iudicis aequi ac in arte versatissimi relictum esse libenter fateor. Nuperri-
mae gravis rei medicae existimator, cl. *Len-
tin f) Digitalēm purpuream*, in morbis hydro-
piciis illi exoptatam, *his ex causis* mire com-
mendavit: „*Sie vermindere die Zahl der Puls-
schläge*, vermehre auf der andern Seite die
„*Oscillation der Saugadern und halte den
„Krampf ab, u. s. w.*“ Haec evidenter pro-
bant, senem experientissimum convictum esse,
quanti aucta vasorum arteriosorum vis ad ge-
nesin hydropis faciat. Caeterum ex sexcentis
observationibus practicis constat, pharmaca ta-
lia, quae mitiori modo stimulo agunt, mede-
lae hydropis multo magis adfuisse, quam quae
humorum motum exaestuunt.

f) Beiträge zur ausüb. A. W. III. Bd. Leipz. 1804.



T H E S E S.

I.

Hydopes, etsi plerique naturam athenicam induunt, tamen et hypersthenica interdum notantur.

II.

Paracentesis in hydropo saepius applicanda esset, quam aevo recentiori solet administrari.

III.

Axioma, potum largiorem hydropicis recusandum esse, jure vituperatur.

IV.

Aer purus et oxygenio dives non omnibus convenit morbis.

V.

Ligaturam arteriae laesae obturationi, quam „*Tamponade*“ vocant, praefero.

VI.

Solutionem placentae non semper, nec nimis diu, naturae solius viribus committendam esse censeo.

VII.

E cibo potuque calido ii, qui athenicis morbis corripiuntur, multum utilitatis capiunt.
